

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

FEBRI INTERMITTENTE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI,

AC TOTIUS

INCLYT. FACULTATIS MEDICAE,

PRO

DOCTORIS GRADU

RITE OBTINENDO,

IN ALMA, AC CELEBERRIMA REG. SC. UNIV. PESTIENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

LUDOVICUS KÜTHY,

LOSONTZINO-NEOGRADIENSIS.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Facultatis
Medicae die Februarii 1834.

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

1834.

UNITED STATES

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

BUREAU OF LAND MANAGEMENT

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

WATER RESOURCES DIVISION

Febris intermittens, vocatur a Cel. P. Frank, Febris periodica, Dialeipyra a Schwediauer, Aneto, et Mason Good. Jam a Hippocrate et Galeno descripta fuit, innumeris tamen observationibus et operibus auctorum seculi XVIII, et XIX, imprimis illustrata.

D e f i n i t i o.

Dicitur autem febris intermittens morbus ille, in quo certo tempore aegrum affligunt omnia symptomata essentialia febris-*paroxysmus*; deia autem cessantibus febris symptomatibus essentialibus, homo videtur esse apparenter sanus, — *apyrexia*; et sic paroxysmi cum apyrexiiis alternant, donec morbus sublatus fuerit.

D i a g n o s i s.

Ut accuratam febris interm. construam diagnosim
1. symptomata, 2 differentias illius recensere necesse erit.

I. S y m p t o m a t a.

Dividimus autem morbi decursum in stadia plura, scilicet; stadium prodromorum, stadium frigoris, calor et sudoris, — paroxysmum; atque apyrexiam.

1. *Stadium prodromorum.* Inconstans est, nec semper adest. Sanus homo mutationes aliquas percipit, in functionibus vitae animalis ne vegetativae, appetitus cibi imminuitur, sensus prosperae valetudinis deletur; sentit lassitudinem muscularem majorem, caput gravius, ructus, vomitiones, alvo laborat constipata, animum habet morosiolem; ex quibus tamen omnibus, morbum cognoscere non valemus.

2. *Stadium est frigoris.* Incipit hoc stadium, cum sensu lassitudinis ac dedolationis corporis, cum capitis gravitate, temulentia, oscitatione et pandiclatione ac pallore; una cum his comparet sensatio frigoris in spina dorsi, horripilatio (Tempus exhorrescentiae), ac si cutis aqua frigida perfunderetur, quae a spina dorsi extenditur ad extremitates, hinc ad pectus et abdomen donec universalis evadat. Est autem frigus hoc non solum subjectivum, verum etiam ab aliis observandum.

Praeter frigus lassitudo aegri jam est tanta ut lectum quaerat, et tegumenta; vitalitas cutis imminuitur, turgor et rubor disparent; ideo tota cutis collabatur, magis contrahitur (Cutis anserina). Circulatio in cuti impeditur, sanguis in venis stagnat, hinc apices digitorum ungues, labia immo tota cutis

livescunt. Sanguis qui ex cuti recedit, congeritur in aliis partibus, imprimis in capite et pectore; hinc capitis gravitas temulentia ac dyspnoea oritur. Cutis porro ita contracta, fit insensilis, alii etiam sensus obtunduntur, artus tremunt, dentes strident et maxillae inferiores spasmō corripiuntur.

Praeter symptomata enumerata, aegri cibum non appetunt, torquentur siti, alvi evacratio impeditur, urina si mittitur est aquosa, pulsus cordis et arteriarum fit abnormis, cordis palpitatio, pulsus frequentes contracti observantur. Comitatur haec phaenomena se-et excretio laesa, cutis enim fit sicca, os siccum, alvus morosa, urina parca, ulcera fors praesentia exsiccantur, fluxus catamenialis supprimitur.

3. *Stadium caloris* est. Postquam stadium frigoris per pauca minuta, quadrantem horae vel per plures horas durasset, successive omnia symptomata imminuuntur, corpus autem universum calere incipit. Calor hic non solum aegro perceptibilis est, verum etiam manu alterius hominis et thermometro metiendus. Incipit in epigastrio vel a pedibus evolvi, estque diversae intensitatis, jam mitior, jam ardens. Vitalitas turgor et rubor cutis sub hoc stadio redit immo exaltatur, pulsus arteriarum majores evadunt, aequabiliores, arteriae temporales pulsant, respiratio fit liberior, functio ipsius systematis nervosi non est amplius suppressa, caput non amplius grave; dolor pulsatorius comparet, delirium, sensibilitas oculorum et reliquorum sensuum externorum major est. Sitis adest sed facilius placanda, urinae excretio adhuc parca,

sed jam profundius tinctae flammæ. Atque postquam stadium hoc caloris, quod in genere stadio frigoris longius durat successive imminueretur sequitur.

4. *Stadium sudoris.* Stadio hoc appropinquante, mox in aliqua parte corporis comparet sudor, qui per universum corpus successive diffunditur; estque sudor iste diversae intensitatis, et qualitatis, jam majori jam minori copia præsens, jam acidi, jam dulcis odoris. Subsecuto sudore, urina sedimentum lateritium deponit, atque symptomatibus febris evanidis paroxysmus terminatur.

Post paroxysmum sequitur apyrexia seu intermissio, ubi symptomata morbi essentialia silent, valetudo tamen integra non est.

II. D i f f e r e n t i a e.

Differunt febres intermittentes. 1. Ratione reversionis paroxysmorum: est febris interm. *Quotidiana*, in qua paroxysmus recurrit omni 24 hora. Tales febres incipere solent horis matutinis, et per meridiem durant usque quartam horam. Raræ sunt hæc febres, et facile confunduntur cum tertianis duplicibus, et quartanis triplicibus.

Alia dicitur febris interm. *tertiana*, cujus paroxysmus singula 48 hora recurrit, ita ut dies intermedius sit liber; febris hujus paroxysmus frequentissime tempore meridiano inchoat.

Febris intermittens *quartana* vocatur, ubi singulus paroxysmus revertitur hora 72. ita, ut duabus diebus duret intermissio, hujus febris paroxysmi inchoant potissimum vesperi et excurrunt per noctem.

Nonnunquam ut C. Boerhave, Stoll; et Swieten affirmant paroxysmi tardius revertuntur, ut adnotentur febres interm. menstruae, annuae, quod tamen quia rarum est ab aliis negatur.

2. Differunt febres interm. numero paroxysmorum, dicunturque febres interm. simplices; dum spatio 24 v. 48. v. 72. horarum recurrit paroxysmus unus, *duplices*, dum eodem temporis spatio duo paroxysmi observantur ita, ut e. g. in febre tertiana, paroxysmus primae diei respondeat paroxysmo diei tertiae, paroxysmus autem secundae, respondeat quartae. Febris autem interm. tertiana *duplicata* est, dum alternis diebus comparent paroxysmi duo, die intermedia apyreta.

Dum vero quotidie comparet paroxysmus alternis autem diebus duo tunc fit tertiana *triplex*; sic etiam quartana dicitur duplex, si primo et secundo die observentur paroxysmi, tertius autem sit apyretus; triplex si omni die adsint paroxysmi; et triplicata, ubi duobus diebus adest intermissio, sed primo et quarto paroxysmi duplices; vel duratione vel intensitate vel symptomatibus quibusdam vel tempore comparitionis sibimet respondentes.

3. Distinguuntur ratione typi reversionis paroxysmi, febres interm., in sic dictam *febrim interm. typicam fixam*, periodicam, in qua paroxysmus eodem tempore et hora recurrit; *febrim interm. anticipantem*, in qua paroxysmus citius, et *postponentem*, in qua tardius revertitur; et in *vagam erraticam*, in qua paroxysmi incertis temporibus recurrunt.

4. Ratione stadiorum paroxysmi distinguitur febris interm. *regularis*, in qua frigus, calor et sudor, certo ordine se excipiunt; et febris interm. *irregularis*, in qua saepe post horripilationem sudor, v. sine frigore calor observatur. Adnotantur praeterea febres interm. *larvatae*, in his nempe symptomata febrilia sunt minus manifesta, per morbum alium occultata.

5. Differentia desumitur a statu diverso, quem aeger tempore apyrexiae praesefert, saepe enim aegrotus in apyrexia est apparenter sanus—febris interm. *perfecta*; verum aliquando symptomata quaedam laesae valetudinis adsunt — febris interm. *imperfecta*. *Subcontinua subintrans* autem dicitur, dum paroxysmi citissime se excipiunt, ita ut vix primo cessante, alter sequatur.

Distinguuntur praeterea febres interm. — Quoad anni tempus, in *vernales* mitiores, *autumnales* pertinaciores; — quoad durationem in *acutas* et *chronicas*; — quoad intensitatem, in *mitiores* et *graviore*s; — quoad influxum quem in corpus exserunt, in *criticas*, *corruptorias*, et *perniciosas*; — quoad numerum aegro-

rum in *sporadicis*, *epidemicis* et *endemicis*; denique distinguuntur adhuc in *complicatas* et *non complicatas*.

Peculiarem attentionem nostram requirunt febres interm. perniciosae a C. Torti, dein a multis aliis descriptae et observatae. Sic referuntur febres interm., in quibus symptomata omnia indicant adesse neuroses ut sunt: cum doloribus, febres interm. cephalalgicae, odontalgicae, cardialgicae, arthralgicae; referuntur aliae cum spasmis, tetanicae, epilepticae, convulsivae; cum paralysibus, febres interm. soporosae, amauroticae, apnlecticae, cum deliriis, asphyxia syncope. Adnotatae fuerunt porro febres interm. cum morbis cutis, urticaria, petechiis, purpura, miliaris etc., cum ictero, cum pediculis; cum profluviis, emesi, diarhaea, dysenteria, cholera; cum haemorrhagiis diversis, cum inflammationibus topicis, imprimis organorum digestionis et chylicationis ac respirationis.

Saepe symptomata febrim characterisantia adsunt intensitate nimia; sic frigus sub stadio frigoris adeo est intensum, ut corpus rigescat, dicitur haec febris interm. algida; alias percipit aeger ardorem summum, alias sudore nimio diffluit, prior dicitur febris interm. ardens, posterior febris interm. diaphoretica seu sudatoria. Observata est a nonnullis sub paroxysmo debilitas nimia, ita ut ad motum vel minimum sensus obsuscantur et aeger in animi deliquium incidat. Status hi morbosus cum febribus intermittibus occurrentes, ut observatores attenti adnotarunt, non semper per solam febrim sustentantur et ab illa

dependent; verum potius causis nocentibus variis admissis, cum ea complicantur, imprimis inflammationes, quae vel una cum febris vel prius sufferri debent, ut curam felicem peragamus.

Februm intermittentium larvatarum diagnosis saepe valde difficilis est, interim attentum observatorem non fugiet, quod omnia haec symptomata certo tempore recurrant, intermittant, quod tamen aliqua etiamsi non distincta febris interm. symptomata adsint, et quod epidemia febribus interm. generandis faveat; dubium dirimit therapia, tales enim febres cortice cinchonae sanantur, ita ut omnia symptomata terribilia dispareant.

A e t i o l o g i a .

Dispositio peculiari ad febres intermittentes requiritur, nam observatio docet, quod ex multis hominibus, iisdem potentiis nocentibus expositis, aliqui incidant in febres interm. aliqui immunes a morbo maneant.

Diathesis talis febrilis, saepe est haereditarie acquisita vel congenita; in tenerrimis enim jam infantibus, observantur febres, et gravidae his vexatae diathesim hanc ipsis foetibus, quas utero gestant communicare videntur. Febris interm. ipsa imprimis cum infarctibus abdominalibus complicata, diathesim talem febrilem relinquit, quae tunc habitu pallido laxo, facie aedematosa manifestatur.

Frequentissima potentia nocens, ad febrim internam praedisponens, et illam excitans, est aër paludosus, ab omnibus fere observatoribus medicis ut infamis adnotatus. Aër atmosphaericus analysi chemicae subiectus, in omni plaga telluris iisdem partibus constituentibus, eadem semper proportione combinatis, constare dicitur, nec differentia ulla in illo observatur; sed percipit illam corpus humanum, in aëre enim tali paludoso, morborum fomite feracissimo etiam diathesis febrilis floret et miasma sic dictum febrile evolvitur.

Epidemicæ sunt febres internæ ad ripas maris adriatici, in regionibus paludosis ad Tiberim; multa millia incolarum corripuntur hic, febre intermittente. Tales epidemias fatales regnant etiam ad Genuam, ad Cadix in Hispania, ad Lissabonam in Portugallia, in regionibus paludosis Galliae ad Sologne et Languedoc et in littoribus Hollandicis ad Grönningen. Regnant tales quotannis etiam in Hungaria, in Banatu Temesiensi, ad ripas Tibisci, Marusii, Danubii, Fertó et Balaton, in Slavonia inter Savum et Dravum. Dum in regionibus septentrionalibus, et cacuminibus montium, in tropicis, ubi aër purus et siccus est, vix observantur. Verum aër paludosus nec sola causa disponens, nec excitans est, saepe peculiaris constitutio atmosphaerae efficit, ut ne quidem ad paludes febres internæ observentur, alias iterum in ipsis cacuminibus montium in aëre puro ac sicco evolvantur.

Dispositione tali praesente, excitatur febris internæ per varias causas, sic frequens causa excitans

febris est, frigus humidum, habitatio et commoratio ad lacus, fluvia, in domiciliis humidis; aër exhalationibus hominum, et aliis mephytibus inquinatus. Saepissime tamen accusantur, alimenta et potulenta, carnes durae, pingues, fumo ac sale conditae, cibi farinacei, fructus horaei immaturi, cucumeres et melones; aqua imprimis qualitate peccans; potulenta spirituosa quantitate majori ingesta, vel qualitatis malae; inopia alimentorum et potulentorum, pharmaca ipsa imprimis debilitantia; accusantur porro evacuationes et morbi alii praegressi organismum debilitantes.

Causis his disponentibus et excitantibus expositis, requiritur ut de causa proxima febris interm. quaedam referamus.

Antiqui medici cum Galeno, causam proximam febris interm. repetebant a liquidis morbois, quotidianam a muco, tertianam a bile, quartanam ab atra bile. Dicebant alii peculiari ratione corrumpi bilem, et hac corruptela dein produci materiam febrilem, quae in sanguinem suscepta excitet febrim interm. — Plurimis febris interm. nihil aliud est quam debilitas asthenia, quam doctrinam, imprimis Brown et theoriae incitabilitatis asseclae defendebant; dixerunt hi roborantibus febres interm. sanari; verum ex febribus interm. roborantibus tractatis, fiunt saepe febres continuae, imprimis ubi inflammatio latet. Observatio haec seduxit C. Broussais ut statueret, omnem febrim interm. esse inflammatoriam, etquidem ut plurimum latere inflammationes tubi intestinalis, organorum chylicationis, hepatis, lienis etc.; saepius

etiam irritationem et inflammationem organorum respirationis. Licet talem statum inflammatorium, cum feбри complicatum frequenter occurrere videamus; licet infarctus tales inflammatorii, febres multas quartanas sustentent, et inflammatio imprimis tempore paroxysmi exardescat; licet methodo antiphlogistica una cum inflammatione etiam febris interm. sufferatur; minime tamen propterea affirmare valemus, omnem febrim interm. esse inflammatoriam, ut potius negare non possimus, causas excitantes februm interm. tales esse, quae morbis asthenicis excitandis faveant. Astheniam hanc habitus aegroti pallidus, laxus et oedematosus, ipsa therapia probare videtur, quae ut plurimum roborantibus indiget ad febrim interm. sanandam, et cortex chinae remedium in febrim specificum roborans efficacissimum est.

Interim quomocunque se praesentet aut complicetur, est semper morbus peculiaris, qui excitatur, per constitutionem atmosphaerae propriam, per quam inducitur, primarie in systemate nervoso ganglioso mutatio, qua praesente in praedispositis febris interm. evolvitur.

Systema autem nervosum et quidem gangliosum, plexum solarem, principaliter affici, inde dein mutationem illam ad reliqua systemata propagari patet. Nam ipsa sanitate praesente, in functione systematis nervosi, peculiare observamus phaenomenon intermissionis nocturnae, somni nempe; morbi fere omnes, in quibus primario et principaliter affectum est systema nervosum, intermissiones jam perfectiores, jam imper-

fectiores faciunt, has autem intermissiones, observamus imprimis in morbis systematis nervosi vitae vegetativae. Febres porro interm. saepissime cum perturbationibus systematis nervosi adparent, plurimaeque febres perniciosae observatae sunt neurosibus junctae. Organa vitae vegetativae praee aliis, per febrim intermittentem in morbum conjiciuntur, et per hanc observamus mutationes morbosas, in hepate et liene cito satis evolvi.

Prognosis.

Exposita Aetilogia febris interm. nunc de prognosi nobis disserendum erit. Referuntur febres interm. salubres morbum in organismo praesentem sufferentes; interim tales sunt rarae, et a multis in dubium vocantur. Febres interm. mitiores, postquam per aliquot dies, septimanas vel mensem durassent, Autocrazia naturae sola, remediis psychicis, popularibus sanantur. Sed saepissime febres interm. evadunt chronicae, et generant varios status morbosos organismi; frequentissime generant infarctus abdominales, et quidem hepatis et lienis, sed et alios glandularum mesaraicarum, pancreatis, immo referuntur infarctus uteri, pulmonum, encephali a febribus interm. excitati. Per hos infarctus inducuntur dein, dyspepsiae, perturbationes in organis digestionis et chylificationis variae, cardialgiae, enteralgiae, assimilatio, sanguificatio, et nutritio mala, icterus, haemorrhoides, habitus pallidus, cachecticus, cum musculis flaccidis, facie oedematosa, hydrops, in dispositis phtysis. Turbae comparent systematis nervosi,

evolvuntur cephalae arthralgiae, hysteriasis, hypochondriasis melancholia. Oriuntur efflorescentiae, impetigines, scabies, herpes febriles etc.

Saepe hae etiam febres interm. chronicae, adjunctis, faventibus disparent, saepe tamen funestos exitus antea dictos nactae aegrum enecant.

Febres interm. mitiores, recentes, facile sanantur, difficilior est cura febrium diu durantium, complicatarum; larvatae et perniciosae neglectae, aegrum saepe, jam cum tertio vel quarto paroxysmo enecant, bene tamen curatae ipsae hae periculosae felicissime sullenuntur. Sic etiam facile opprimunt aegros asthenicae cum caractere nervoso vel septico decurrentes.

Febres interm. tertianae facilius cedunt pharmacis, pertinaciores sunt quotidianae, pertinacissimae quartanae. Determinatur porro prognosis, per epidemiam regnantem, per anni tempus, per constitutionem individualement aegri; febres denique intermittentes legitimae sanantur, ut plurimum; spuriae quae symptoma constituunt cancri vel phtysis insanabiles sunt.

T h e r a p i a .

Febris intermittens therapiam adornans, cura mihi duplex instituenda erit, altera paroxysmi altera apyrexiae.

1. *Cura paroxysmi.* Dicitur a nonnullis ut morbi cura radicalis suscipiatur, dum prodromi paroxysmi superveniunt, vocaturque methodus haec perturbans. Scilicet comparente oscitatione, pandiculatione, lassitudine musculari, anorexia, commendatur motus vehemens, quo sudor eliciatur largus; ab aliis vinum et alter potus spirituosus, tanta quantitate ut inebriet, cui adduntur aromatica et acria, piper capsicum, opium tanta quantitate ut narcosim inducat, denique balneum tepidum, immo perfusio cum aqua frigida.

Methodus haec perturbans nonnunquam poterat prodesse, saepe tamen causam constituebat aliorum morborum cum febris complicatorum quare penitus derelinquenda est.

Symptomata itaque paroxysmi, sufferre minime intendimus, scimus enim medicamentis illo tempore ad febrim sufferendam exhibitis ea potius augeri, et videntur illa per autocratiam naturae, ad mutationem illam peculiarem morbosam sufferendam produci, quare ea tantum mitiganda sunt.

Sub stadio frigoris aegrum in lectum calidum decumbere jubemus, corpus obtegimus; ad sitim molestam exstinguendam, exhibemus infusa tepida, flor. Sambuci, Tiliae, Theam Hollandicam cum succo Citri, non aquam frigidam, quae frigus auget, nec sitim exstinguit. Calefacientia, stimulantia, opium, venaesectiones sub hoc stadio non sunt commendandae; nisi ubi sanguinis congestio tanta est, ut metus sit

de apoplexia cerebri vel pulmonali, hæc sanguinis evacuationes necessariae sunt.

Ubi post frigus stadium caloris successive evolvitur, tegmenta et potus calidos removemus et ad sitim extinguendam aquam bonam, acida vegetabilia cum saccharo propinamus; et sic morbus deducitur in stadium sudoris quo praesente aegri obdormiunt, vel mox a molestiis liberati surgunt, quod tamen non suademus, nisi sudore evanido.

2. *Cura apyrexiae.* Paroxismo terminato, curam radicalem suscipimus, in qua ut feliciter versemur causas excitantes primo removemus, aërem paludosum, exhalationibus hominum ac animalium inquinatum fugiendum esse praecipimus; saburram ab ingestis generatam via qua turget removemus. Emeticum etiamsi saburra non adsit in febris interm. commendatur, ut systematis gangliosi reactio per stimulum hunc excitetur, interim licet emetico solo febres interm. sanentur tamen illud semper adhibere inutile est et noxium; ideo emeticum solum saburra sursum turgescente, nulla contraindicatione praesente adhibemus.

Causis excitantibus remotis vel non amplius praesentibus, contra ipsum statum peculiarem dynamicum febriam sustentantem therapiam suscipimus.

Status iste dynamicus non est semper idem, accidit enim ut febris interm. complicitur cum inflammatione jam acuta, jam chronica, et sustentetur per illam. Sic adnotantur observationes multae a C. Broussais, et quidem gastroenteritides, hepatitides,

spleuitides, et a C. Reich peripneumoniae. In casibus illis in quibus febris interm. cum inflammatione complicatur, in morbo intensiore utiles sunt venae-sectiones; saepius hirudines prosunt, 12 vel 16 in morbo mitiori, qualis utplurimum occurrit. In tali morbo prosunt etiam antiphlogistica mitiora, abstinentia a cibo et stimulantibus, quies, sal ammoniacus, atque tartarus emeticus dosi refracta.

Interim character febris interm. utplurimum est asthenicus, aut inflammatione sublata, febris interm. remanet. Indicationem itaque desumimus a peculiari statu systematis nervosi, quo febris interm. sustentatur ad quem sufferendum specificum possidemus in cortice peruviano remedium.

Cortex Cinchonae, in memoriam uxoris proregis Peru ita dictus, quae feбри interm. gravi affecta a medicis Hispanis incassum tractata, cortice hoc, in Peru jam a longo tempore adhibito sanata est. Qui dein in Europam translatus, universalis evasit. Ita ut postquam saburra, inflammatio, in quibus contraindicatur sufferantur, omnibus remediis palmam prae-ripiat. Corticis peruviani plures species dantur, quae omnes analogae esse videntur, nisi quod in quadam specie, principii efficacis plus, in alia minus adsit; communissimi sunt: Cortex Chinae fuscus, ruber, et flavus. Cortex Chinae ruber, ut a Cel. Chemicis Fourcroy et Vauquelin refertur efficacissimus, materiam Chinae alcaloideam maxima quantitate tenens, rarior est, et majori pretio venditur. Cortex Chinae fuscus, praeter principium alcaloideum, et acidum, materiam

adstringentem et aromaticam tenens, communissime adhibetur. Cortex flavus materia adstringente abundat.

Ut corticem peruvianum, cum effectu adhibeamus, necesse est, ut illius formam, dosim et combinationem deliniamus.

Quoad formam damus illum in pulvere, pilulis, infuso, decocto, et praeparatis.

Dum usus Corticis peruviani invaluit, forma pulveris adhibebatur, dicitur hoc in *substantia*, praescribuntur autem pulveris alcoholisati pro diversitate, aetatis sexus, intensitatis morbi drachma semis usque uncias tres pro nychthemero, ut dividatur in doses plures, sex, octo. Sumitur autem hic pulvis optime in vino vel in aqua aromatica et infuso aromatico. Aliis aegris arridet forma pillularis vel boli, dum nempe praescribimus pulverem corticis alcoholisatum cum extractis amaris vel syrupo aromatico. Interim pulvis et pilulae non semper aegris placent, et debilium ventriculum gravant, praescribimus adeoque infusum vel decoctum. Paratur infusum communiter ex corticis uncia una, cui addimus magnesiam ut praeparatum alcaloideum eo melius extrahatur, — infundimus aquae bullientis uncias octo, et hoc aegro dietim exhibemus. Efficacius infuso est decoctum Chinae, ex Uncia semis usque unam ad colaturam Unciarum sex vel octo paratum, a Quarin imprimis commendatum, ventriculo tamen infuso multo molestius.

Praeparata Corticis peruviani sunt: *Extractum Chinae*, ex quo scrupulus unus usque drachmam unam, optime in aquis et infusis aromaticis adhibetur. *Tinctura Chinae* cujus laudes imprimis a Hahnemann decantatae sunt.

Efficacissima praeparata sunt alcaloidea post Celchemicorum Fourcroy et Vauquelin investigationes et analyses a pharmacopaeis Parisiensibus Pelletier et Caventou inventa, *Chininum* et *Cinchoninum*; quae ab acido cum quo juncta sunt separata, coeunt cum aliis acidis in sales. Combinantur alcaloidea haec, cum acido sulphurico, muriatico, acetico, phosphorico. Prima experimenta instituta sunt cum sulphate chinini, qui etiam nunc potissimum adhibetur; laudatur etiam murias chinini, quem a stomacho facilius solubilem esse affirmant; efficacissimus esse dicitur a Harless phosphas chinini seu chininum phosphoricum.

Exhibemus autem sulphatis aut muriatis chinini tempore apyrexiae in febris intermittente non complicata grana sex usque duodecim, cum elaeosaccharo, pulvere aromatico vel saccharo. Vel exhibemus sales hos in pilulis, dosi eadem, dietim grana sex, octo, et duodecim.

Verum febris interm. imprimis diuturna, non est sine complicatione, ideo etiam remedia alia una cum cortice conjungenda sunt.

Frequentissime cum febris interm. complicantur infarctus abdominales, hepatis et lienis, sustentan-

tur hi potissimum per inflammationem chronicam jam mitiorem, jam intensionem; in casibus his methodus antiphlogistica et solvens praemitti debet vel cum cortice combinari. In tali statu utilia sunt extracta vegetabilium solventium, taraxaci, cichorei etc. quibus jungimus salem ammoniacum, tartarum emeticum; haec ipsa remedia imprimis ubi paroxysmi intensiores urgent, cum praeparatis corticis combinamus; imo alia etiam efficaciora, calomelam, sulphur auratum antimonii, extractum hyoscyami et cicutae, et sic febres interm. una cum infarctu sufferimus. Nonnunquam febribus interm. affecti, laborant alvo constipata, saburra mucosa vel verminosa, tunc alvus prius resaranda, saburra mucosa evacuanda est ut praeparata corticis efficaciam suam exerere possint. Saepe per febrim diurnam inducitur debilitas digestionis ac chylicationis ita, ut aeger praeparata etiam corticis mitiora male ferat, tunc dyspepsia corrigenda erit, roborantibus ac stimulantibus; quae praemittimus vel una cum cortice exhibemus, et quidem amara, amaro-aromatica, elaeosacchara et spiritus aethereos. Per febrim interm. diurnam inducitur et sustentatur etiam hydrops, tum cortici, qui saepe solus et febrim et hydropem suffert, jungenda erunt diuretica: Scilla marina, digitalis purpurea etc.

Saepe opium febribus interm. imprimis cum neurosis variis et profluviis complicatis opponimus, cum cortice peruviano combinatum, sic etiam febribus perniciosis, quales observatae sunt a Torti et Albert; in his sulphatem vel muriatem chinini damus tanta dosi, quanta perferri possunt; tempore apyrexiae ad scru-

pulum unum drachmam semis et unam, exhibendo. In febribus interm. cum caractere nervoso vel septico, complicationibus his congrua remedia, una cum cortice propinanda erunt.

Etiam externa remedia ad febres interm. sanandas adhibita sunt: scilicet, inunctiones spirituosae, balsamicae, remedia antagonistica, ipse cortex peruvianus. Jam sola exhalatio corticis, ut refert casum Hufeland in America, sufficit ad febrim interm. fugandam; adhibitum fuit etiam balneum ex cortice paratum, et clyisma ex decocto corticis saturato. Majorem his virtutem exeruit sulphas et murias chinini ad grana sex forma unguenti cuti per emplastrum cantharidum epidermide spoliatae impositus, etiam pluribus vicibus repetitus; ut referuntur observationes a Lambert et Speranda factae, ab aliis etiam, observationibus medicis comprobatae.

Tentata sunt contra febres interm. etiam alia remedia, ut *surregata* corticis peruviani; in operibus a Renard et aliorum auctorum recensita. Multa autem sunt remedia, quae pro surrogatis venditabantur et adhuc habentur; talia sunt: e vegetabilibus, remedia amara, amaro-aromatica, amaro-mucilaginoso, adstringentia, narcotica et acria; ex regno animali, acria, nutrientia ac stimulantia; ex regno minerali, acida, alcalia, martialia, antimonialia, mercurialia et arsenicum.

Praecipua ex his recensitis sunt: flores, chamomillae, radix valerianae celticae, arnica, cortex

liriodendri tulipiferae, rhoes cotini et angusturae, horum enim virtus in febris interm. mitioribus, etiamsi a nonnullis pro inefficacibus declarata sint; comprobata est. Ab aliis depredicatur sal ammoniacus sulphur auratum antimonii, imprimis opium, dosi usque ad hilaritatem et ebrietatem aucta; dein principia peculiariora: ilicina ex foliis ilicis aquifoliae, piperina, ex pipere, et salicina ex cortice salicis helicis a le Rou extracta. Quae remedia omnia in febris interm. mitioribus, vel in casibus individualibus profuerunt; febres tamen, graviores, ut experimentis probatum est vix sufferre possunt. Ab anglis medicis efficacissima medicina dicebatur esse in febris interm. arsenicum, quo ut observationibus copiosis probatum est, febres etiam pertinaciores felicissime sufferuntur; quod tamen donec febris interm. mitioribus domari potest minime commendandum est.

Demum non sufficit febrim sustulisse; verum etiam diathesim febrilem, habitum cachecticum sulphate vel muriate chinini, cum roborantibus et martialibus combinato, saepe etiam post intervalla exhibitio, profligare, oportet.



T h e s e s.

1. Febres intermittentes endemicas aër paludosus sustentat.
 2. Febris intermittens est morbus primarie in systemate nervoso radicans.
 3. Cortex peruvianus in febris intermittente est remedium specificum.
 4. Febris intermittens nonnunquam etiam psychicis remediis sanatur.
 5. Surrogatum, corticem peruvianum perfecte supplens non datur.
 6. Narcotica negative stimulant.
 7. Observatio legum diaetheticarum optimum est contra omnes morbos praeservativum.
-